

THEMATA QVAE CONTINENT ME- THODICAM TRACTATI-

onem de Horizonte rationali ac
sensibili, Deq; mutatione ho-
rizontium & meridis
anorum, Quib. adie-
cta sunt paucis
la de vms
bris.

15619

Autore Erasmo Reinholdo
Saluelden.

VITEBERGAE.

Anno. M. D. XLIIII.



THE
GVAE
THODICAM
mum de
tenetur
recedunt
quorum
de
la de
bis.

Antore
Saluden.

VITBERGAR

Ann. M. D. XLIII.



THEMATA , QVAE CON-
tinent methodicam tractationem de ho-
rizonte rationali ac sensibili , Deq;
mutatione horizontium &
meridianorum &c .

I

VTILE ac eruditum discrimen est
inter Horizontem rationalem &
sensibilem .

II

Horizon rationalis est superficies
plana circularis transiēs per medium to-
tius uniuersi & excurrens ad extremam
Sphæram stellarum inerrantium .

III

Etsi autē huiusmodi plana superficies
quam intelligimus extendi usq; ad extre-
mum cælum non transeat per centrum
terræ, sed incumbat rotundæ extrema-
ti seu conuexitati terræ, tamen cælum in
duo hemisphæria diuidit .

A ij

Id testat

III

Id testantur cum alia multa φαινόμενα, quæ ingeniose obseruata sunt ab Astronomis, tum præcipue, quod eodē die pares sunt horæ diei atq; noctis omnib. hominib., apud quos Sol modo oritur et occidit tunc cū mediū inter polos, parallelū delineat.

V

Vnde primum constat terram in ipso centro mediꝝ inter polos paralleli, hoc est in medio totius vniuersi collocatam esse mirabili Dei consilio ac bonitate.

VI

Deinde, etsi terræ amplitudo tāta est, ut vix quis q̄ eam circuerit, tamen ad immensam molem superiorum corporum atq; extremum celi ambitum collatam valde esse exiguam, ac puncti cuiusdam similem.

VII

Vocatur autem Rationalis, quia cum acies oculi non penetret ad extremum cœlum, nec sensus mox depræhēdat hæc superficie

superficie horizontis dissectum esse coe-
lum in duo hemisphaeria, tamen mens
ratiocinando hæc intelligit.

VIII

Quia enim sensus percipit ortus & oc-
casus omnium stellarum errantium &
inerrantium, item quantas moras faciãt
singulæ in vtroq; hemisphærio, mēs ho-
minis expolita Geometricis demonstra-
tionibus argute colligit hanc superficiẽ
horizontis pertingere etiam ad extre-
mum coelum ac partiri omnes orbes coe-
lestes mundo concentricos in duo he-
misphaeria.

IX

Ideo uocatur etiam artificialis horizo.
quod beneficio artis Astronomicæ in-
telligatur.

X

Polum horizontis dicunt esse punc-
tum coeli capitibus nostris imminens,
Etsi .n. hic circulus sit immobilis in sphe-
ra, tamen super isto puncto verticali po-
sset moueri propterea, q̄ sicut alii poli

A iij

abluunt

abluunt a suis circulis quadrante circuli
Ita etiam inter hoc punctum & ipsū hor-
izontem quadrantes maximorum cir-
culorum intercipiuntur.

XI

Sensibilis horizon est illa portiuncula
terræ, quam in aperto & plano campo
circumquaq; cernere & oculis lustrare li-
cet.

XII

Sicut autem globus terræ ad cælū cō-
paratus est instar pūcti, ita etiam sensibi-
lis horizon, & medium rationalis possi-
det, & illius quasi centrum est, si physis-
co more loquamur.

XIII

Sed iuxta Geometricam & veriozem
sententiam, centrum utriusq; horizon-
tis est oculus uidentis ac horizontem si-
bi circumscribentis.

XIIII

Diameter horizontis rationalis non
potest inuestigari propter immensam et
incognitam distantiam extremi cœli.

XV

Sed

Sed de diametro sensibilis horizontis
sic loquitur Macrobius, Hic horizon
quem sibi vniuscuiusq; circumscribit as-
pectus ultra trecentos & sexaginta sta-
dios longitudinem intra se continere nō
poterit. Centum enim & octoginta sta-
dios non excedit acies contra uidentis.

XVI

Cumq; Macrobius sequatur Erato-
sthenē, qui uni gradui cœlestis circuli as-
signat 700 stadia, quæ quadrant ad 15
miliaria germanica communia, manifes-
tum est iuxta Macrobij sententiam nō
posse oculos conspectum ferre ultra 4
huiusmodi miliaria, quæ propemodum
respondent 180. stadijs.

XVII

Hæc sententia Macrobij satis com-
moda est & a Geometricis demonstra-
tionibus non valde dissentit.

XVIII

Si enim intelligamus terram esse per-
fecte rotundam ac æquabili superficie si-
ne hisce montibus ac vallibus, quæ De^o

ut cætera condidit ad vsus hominum, geometrice ostendi potest, quod per 360 stadia accrescat tumor seu altitudo seu profunditas terræ pene pedes 250.

XIX

Ideoq; si terra esset ita absolute spherica, non possemus oculis excipere ea, quæ distarent a nobis 180. stadijs nisi ex ædificiori turri seu ædificio, cuius altitudo esset circiter 250 pedes aut 125 cubitos seu ulnas quib. in his regionib. utuntur fabri.

XX

Nunc quia terra est σφαιροειδής iuxta præcipuas partes, & ut Ptolomeus loquitur, καθ' ὅλα τὰ μεση, seu ut Plini⁹ inquit, si capita linearum compræhendantur ambitu, ita ut alibi sint altissimi montes alibi longo tractu summa planities, Macrobnj sētētīā ipsa experiētīa cōprobat.

XXI

Nam in regionibus non admodū motosis sed mediocri camporum planicie, uel ex colle uel altiori ædificio, uisus ad 3 aut 4 fere miliaria in superficie terræ porrigitur

porrigitur id quod a rautis in ipso ægre cum uel soluunt uel applicant, ac in uniuersum ad loca maritima commodissime obseruari potest.

XXII

Sed si ex altissimis montibus despicias in subiectos campos, acies oculi illa quoque apprehendere potest, quæ longe ultra 181 stadia distant, Sicut econtra alti montes longius spectari possunt.

XXIII

Idque etiam Macrobius significat eodem loco, cum inquit, Nec te moueat, quod sæpe in longissimo positum montem uidemus, aut quod ipsa cœli superna suspicimus. Aliud enim est, cum se oculis ingerit altitudo, Aliud cum per planum se porrigit & extendit intuitus, in quo solo horizontis circulus efficitur.

XXIII

In Procli sphaera ubi disputat de horizonte, textus habet diametrum sensibilis horizontis esse duum millium stadiorum, h. e. aciem oculi posse in planicie

A 5 terræ

terræ ad mille stadia excurrere. Id ne
quaquam defendi potest, & pugnat cum
cæteris, quæ mox in eodem loco subiun
guntur.

XXV.

Cum enim Proclus in mathematicis
disciplinis sequatur Ptolemæum, qui pri
mus singulis magnorum circuloꝝ gra
dibus tribuit tantum 500 stadia, nō 700
ut ferè superiores omnes, ipsa terra in
2000 stadiorum interuallo intumescet
hac ratione ad stadia septendecim cum
dimidio, id est, ultra dimidium miliare
germanicum. Quem tumorem terræ
nullum unquam ædificium superavit,
imo ne quidem adæquavit.

XXVI

Nec propterea defendi potest hic tex
tus, quod passim plurimi existunt mon
tes, qui ratione perpendiculi altius dimi
dio miliari extent super ipsos campos,
quorum radicibus adhærent, cum in hac
disputatione quærat, quantum in ipsa
planicie terræ uisus prospicere possit,
sine adminiculo aut impedimēto mōtiū.
Præterea

XXVII

Præterea si statuisset Proclus diametrum sensibilis horizontis continere bis mille stadia, cur paulo post quasi oblitus sui inculcasset sensu manere eundem horizontem 400, stadijs, meridianum uero 300, stadijs.

XXVIII

Si enim uisus excurreret mille stadijs, non posset uariari horizon intra mille stadia imo uix ultra bis mille stadia perciperetur aliqua mutatio horizontis.

XXIX

Ideoque existimo Procli textum ab aliquo imperito deprauatum esse ac προδισχιλιωρ σαδιωρ legendum esse διακοσιωρ, ac uelut Proclum quod uisus non possit extendi ultra centum stadia, id est, tria milia germanica communia.

XXX

Hoc enim cum ipsa experientia congruit, & à Macrobio parum dissidet, præterea in ducentis stadijs assurgit tumor terræ, uix centum & decem pedibus, id est, sextante unius stadij.

Ex

XXXI

Ex his patet, quod secundum Macro-
bium in 360. stadijs non omnino muta-
tur horizon in regionibus planis.

XXXII

Etsi enim pro quolibet puncto terræ
iuxta exactissimam rationem sit alius
uertex atq; horizon tamen quod ad sen-
sibilē horizontē adinet, necesse est eos
qui minus distant 360. stadijs, eandem
aliquam portiunculam terræ pariter ui-
dere, ut quæ ipsorum oculis medio loco
interiecta est.

XXXIII

Sed qui maiori inter se absunt inter-
uallo 360. stadijs, eorum horizontes om-
nino sunt diuersi, neq; aliquā terræ por-
tiunculam pariter usurpant in planis, ut
sæpe dictum est, regionibus.

XXXIII

Etsi autem paruitas sensibilis horizon-
tis satis docet horizontes in exiguo in-
teruallo locorum uariari quoquouersū,
tamen hoc ipsū φαινόμενα celestia multo
certius ostendunt. Quod

XXXV

Quod enim alij subinde existant horizontes procedenti uersus alterum polorum certissimum est argumentum ipsa uarietas altitudinis polaris.

XXXVI

Ita mutatio Horizontium uersus ortum & occasum hinc manifeste colligitur quod orientalibus, id est, qui à nobis habitant uersus ortum, citius contingit meridies atq; medium noctis, quam nobis, occidentalibus uero tardius, quam nobis. Id quod Eclipses Lunæ patefecerunt, ut Eclipsin Lunæ, quæ Arbelis hora quinta uisa est, conspexerunt Carthaginenses secunda hora noctis, ita ut quinta hora Arbelorum sit secunda Carthaginensium, & sic de cæteris suo ordine manente differentia ternarij numeri in appellationibus horarū.

XXXVII

Hæc uarietas τῶν φαινομένων non posset euenire si Horizontes non mutarentur, aut si terra esset plana.

Nūc

.. Nunc quia hæ apparentiæ discrepant in diuersis locis iuxta proportionem interualli itinerarij uersus ortum & occasum aut boream & austrum, consequens est Terram non tantum non esse planã, uerum in tanta etiam altitudine montium ualliumq; profunditate imitari sphericam figuram.

XXXIX

Variantur itaq; horizontes non tantum in unam cœli partem, sed uersus omnes plagas, in quascunq; fueris ex priori loco progressus.

XL

Quantq; uero Horizon & Meridianus cuiusq; regionis sese interfecant ad angulos rectos sphaerales, tamen non necesse est una cum horizonte uariari etiam Meridianum, etsi hoc mutato pristinus horizon manere non potest.

XLI

Si quis enim iter faciat recta uersus austrum aut septentrionem, id est, recta
uers

terius a terutrum polorum mundi, per
quos transeunt omnes, meridiani, is per
petuo sub eodem meridiano incedens,
tantum mutat horizontem.

XLII

At qui in cæteras partes mundi am-
bulat, huic tam horizon quam meridia-
nus mutatur, tametsi recta uersus ortum
& occasum citius contingit uariatio me-
ridiani, quam in cæteras partes mundi,
siue horizontis.

XLIII

Mutantur enim meridiani, quatenus
uel recto itinere uel aliquo saltem modo
tendimus uersus ortum aut occasum.

XLIII

Astronomi & Geographi erudite ac-
cipiunt longitudinem mundi inter occa-
sum & ortum, latitudinem autem inter
polos mundi, etsi Aristoteles suo quo-
dam consilio contra facit.

XLV

Hinc est quod dici solet, meridianos
tantum mutari ratione longitudinis. Ho-
rizontes

izontes autem secundum longitudinē
aut latitudinem aut utroq; modo con-
iunctim.

X L V I

Etsi autem Horizontes omnino uari-
antur post 360. stadia iuxta Macrobiū,
tamen sensus non ita subito percipit mu-
tationem apparentiarum cœlestium, id
est, altitudinis polaris, quantitatis diei
maximi, umarbrum, ortuum & occasu-
um &c,

X L V I I

Nec potest idem spacium huius ua-
riationis ubiuis terrarum constitui per
stadia aut aliud quodcunq; genus men-
suræ itinerariæ.

X L V I I I

Si enim ad græciæ horizontes spacium
huiusce uariationis definiatur mille
stadijs, quibus respondent in cœlo duo
gradus magni circuli, Concedendum est
quod facto itinere mille stadiorum uer-
sus alterum polorum, quædam cœlestes
apparentiæ pene regulares ac similes ha-
beant

beant mutationes in quibusdam climatis, ut quarto, quinto, sexto,

X L I X

Nam post mille stadia intra hæc climata augetur altitudo poli duobus gradibus, prolixitas diei pene quadrante unius horæ, denique umbræ etiam pariter prope modum accrescunt.

L

Hac uel occasione uel imaginatione arbitror Procli locum ab aliquo deprauatum esse, qui existimauit eum loqui uoluisse non de diametro sensibilis horisontis, sed eius spacij, ultra quod climata quædam præcipua & ob temperiem aeris maxime ac diutissime culta haberent mutationem cælestium apparentiarum.

L I

At uersus ortum & occasum in singulis climatis ac parallelis est peculiaris ratio, ut in primo climate confectis mille stadijs Eclipsis quædam Lunæ citius apparet orientalibus uix octaua parte

B

unius

vnus horæ, in quarto climate sexta parte, in septimo tandem climate pene quadrante &c.

LII

Hæc uarietas geometricè monstrari potest ex mutua parallelorum proportionè, atq; ex eo etiã intelligi potest, quod paralleli vicini polis sunt multo angustiores cæteris, qui sunt prope equatorem.

LIII

Hinc etiã euenit, ut mille stadijs recta uersus ortum aut occasum, sub equatore respõdeant duo gradus magni circuli, Sub Rhodio parallelo duo gradus cum dimidio, In septimo uero climate tres gradus cum triente.

LIIII

Cum igitur ad mille stadia aut quodlibet aliud certum spacium non quadret perpetuo æqualis uarietas apparentiarũ in latitudinem atq; longitudinem, Ptolemæus in sua Geographia erudite discernit interualla locorum gradibus seu partibus circulorum cœlestium, nõ stadijs aut

aut miliaribus aut deniq; simili mensura
itineraria. Deinde ad computanda inter
stitia locorum penes stadia aut miliaria,
aut quodcunq; genus mensuræ tradit
mutuam inter sese parallelorum ratio
nem

LV

Ac quia uulgus non admodum ob
seruat uarietatem umbrarum, multo mi
nus uero intelligit discrimen altitudinis
polaris in diuersis regionibus, sed tantū
insignes differentias maximorum dierū
Geographi etiam sequuti sunt, quod ad
latitudinem adtinet, hanc uulgi rationē,
ac parallelos distinguunt non æquali
differentia graduum aut partiū umbræ
gnomonis, sed æquali differentia tem
poris.

VI

Atq; hæc differentia constituta est
quadrans horæ quod sensus uix percipi
at minorem portionem temporis.

LVII

Postea uero etiam ex geometricis
fundamentis ostendunt differentias um

B 2 bra

brarum atq̄ graduum in polari altitudi-
ne, quæ quidem discrepant in singulis
parallelis.

LVIII

In hunc itaq̄ modum Geographi
mutationes τῶν φαινόμενων in latitudinē
designant parallelis circulis.

LIX

Sed quia inter hos ipsos parallelos
interceptæ differentiæ polarium altitudi-
num sunt inæquales, ut dictum est, ideo
necesse est spacia terræ, quæ inter binos
proximos parallelos continentur, item
esse inæqualia, ut ex Alphragano patet.

LX

Sicut etiam paralleli sunt ampliores
prope æquatorem & arctiores ad polos,
ita etiam plus distant prope æquatorem
& minus circa polos.

LXI

Vnde etiam Ptolomæus parallelos
vicinos polis primum dimidia, mox inte-
gra hora, ad extremum integris quoq̄
mensibus discernit.

Eodē

Eodem modo diuersitas apparen-
tiarum uersus ortum & occasum distin-
guenda est circulis meridianis inter se
quadrante unius horæ distātibz, sicut
96 meridianis discernatur totus orbis
terrarum in longitudinem.

LXIII.

Etsi aūt liberum est undecunq; initi-
um facere, tamen Ptolemæus orsus est
principiū longitudinis ab insulis fortus
natis, quæ sitæ post Hispanas erant suo
tempore occidentalis terminus ac limes
ΘΙΧΣΜΕΥΧΣ exploratę.

LXIIII.

Placuit autem eam ob causam ab oc-
casu potius initium sumere, q̄ ab ortu.
quía loca occidentalia nobis quidem ue-
lut domestica magis sunt explorata, Si-
cut verisimile est contrariam apud In-
dos vsurpari rationem, si tamen has ma-
thematicas disciplinas aut intelligūt aut
colunt.

LXV.

B 3

Etsi

Etsi aut singuli paralleli nomina ab illis locis accipiunt quibus sunt verticales tamen ad hunc modum certorum locorum appellationes vix assignari possunt meridianis, quia doctrina de longitudinibus apud Geographos, sicut ex tardioribus & difficilioribus observationibus, eclipsium originem trahit, ita incertiorum quoque & magis intricatam esse eam fateri oportet.

LXVI.

Sed ne hoc quidem prætereundum est, quod etiam secundum longitudinem, id est, versus ortum & occasum in minori spacio locorum accidat discrimen quadrantis horarii prope polos quam æquatorem, ob eandem causam, quod paralleli, quo sunt remotiores ab æquatore, eo magis coarctantur, sic, ut tandem in puncta definant quæ sunt poli.

LXVII.

Erudite dictum est a Proclo sensu eundem usurpari meridianum pene 300. stadiis, etsi hoc ipse non explicat.

Sed

LXVIII.

Sed ex Cleomede facile intelligi potest, quare Proclus meridianos circulos disiungendos putat 300 stadijs. Is enim commemorat suo tempore medio die solstitij, ut nunc uocant, æstiuales nullã fuisse vmbra per trecenta stadia prope Syenen, quæ sita est sub tropico cancri, ita, ut quæuis uicina loca non distantia ab eadem 150 stadijs uersus nostrum polum, aut ultra uersus æquatorem fuerint ἀσκια, id est, expertia vmbrae, Sequitur autem & Cleomedes in stadiorum numero sententiam Eratosthenis.

LXIX.

Sed siue iuxta Ptolemæum siue Eratosthenem accipiantur hæc 300 stadia, quantum terræ respondet dimidio gradui cœli, tantum semper in meridie existit ἀσκια in ijs regionibus, per quorum uerticem Sol eo die graditur.

LXX.

Ita vmbrae etiam obseruatio congruit cum Eclipsium ratione, in quibus

B 4

ingeniose

ingeniole animaduertentur. Astronomi
diametrum utriusq; luminaris occu-
pare in cœlo pene dimidium gradum.

LXXI.

Hinc etiã ratio Pliniana sententiã
iudicari potest, quam ipse de solarib. ho-
rologijs tradit lib. 2 cap. 72 vasa, inquit
horoscopa non eidem ubiq; sunt usui, in
trecentis stadijs, aut ut lōgissime in quin-
genis mutantibus semet vmbri.

LXXII.

Ac profecto res admiranda est vmb-
ras corporum, quib. in rerum natura
nihil inanius est, tantum inseruire ho-
minum vtilitatibus.

LXXIII.

Sola enim vmbra terræ in Lunæ de-
liquijs ad plurima aditum patefecit, quæ
in astronomicis artibus præcipua sunt
cum etiam trium maximorum ac pul-
cherrimorum corporum totius naturæ,
solis videlicet Lunæ ac terræ mutuam in-
ter sese proportionem monstrauit.

LXXIII.

Sed

Sed umbrarum manifesta & agricolis maximè grata utilitas hæc est, quod diei partes ac tempora umbris aptissime discernuntur.

LXXV.

Magnum sane beneficium est recensitum horologiorum, in quibus ferrea rotula mira arte concinnata ponderibus ita librantur, ut diei noctisque spacium in 24 horas æquinoctiales perpetuo distinguant.

LXXVI

At dum ignotus esset usus talium horologiorum, magna cura & industria splendente sole obseruabatur ratio umbrarum in singulos dies anni, quemadmodum nostra etiam tempestate quoddam huius antiquæ diligentia vestigiū apparet apud agricolas, quos uidemus ruri habitantes diurna tempora umbris metiri, ut operas rite distribuant.

LXXVII.

Hinc Palladius in suis commentarijs de re rustica, tanta diligentia umbrarum

B 5

rationes

rationes Italicis agricolis præscribit, atq;
ex earum magnitudine singulis mensib.
docet cuiusq; diei temporales horas æsti
mare.

LXXVIII.

Vocatur autem æquinoctialis hora
vicesima quarta pars diei noctisq;, h. e.
illius temporis, quo cum toto cœlo sol
circa terram semel conuertitur. Sicut tē
poralis hora, cuiusq; diei aut noctis duo
decima pars intelligitur, olim q̄ nunc v
sitator.

LXXIX.

Semper autem vmbrae certa ac perpe
tua lege altitudini solis respondēt, sic ut
altiore sole gnomon minorem vmbra
iacet, & humiliore prolixior.

LXXX

Vnde sequitur meridianas umbras, cu
iusq; diei esse breuissimas. Sicut matuti
nas & vespertinas contra longissimas,
quia antemeridianæ minuuntur, sicut
pomeridianæ rursus accrescunt. Deniq;
æstate singulis horis breuiores sunt vm
brae

bræ q̄ in hyeme .

LXXI.

Nec tantum diei partes discernūt vmbra, sed ad hunc quoq; usum pertinent, ut solis altitudinem supra horizontem quolibet diei tempore liceat inde ratiocinari.

LXXII.

Huius autem ratiociniij regula est . q̄ vmbra par. ē. gnomi, quando solis altitudo æquat 45 partes circuli, seu cum sol medium locum inter verticem & finitorum possidet, minor autem vmbra gnomone, cum sol propior uertici est, q̄ finitori, adeoq; altius extat 45 partibus, deniq; maior gnomone vmbra est, cum sol a uertice abest longius, minusq; attollitur, quemadmodum hæc geometricis etiam schematis uenustissime demonstrari possunt.

LXXIII.

Proinde vmbra, quæ media die æquinoctij iactantur, simul etiam ostendunt seu latitudinem regionis, seu polarexaltationem

ationem .

LXXIII

Hinc pleriq; Geographorū ante Ptolemeum poli exaltationem in qualibet regione non exprimunt partib. circuloꝝ rum , sed ex diei maximi ſpacio & magnitudine umbræ meridianæ æquinoctialis intelligi volunt.

LXXV .

Ad hunc modum & Plinius inquit eodem loco, ſolis itaq; vmbilici, quæ gnomonem appellant, vmbra in Aegypto meridiano tempore æquinoctij die paulo plus q̄ dimidiam gnomonis menſurā efficit . In urbe Roma nona pars gnomonis deest umbræ . In oppido Ancona ſupereſt quinta trigefima . In parte Italiae quæ venetia appellatur eiſdem horis vmbra gnomoni par fit.

LXXVI

Ex quibus etiam manifeſtum eſt altitudinem ſolis æquinoctij die in Aegypto itē Romæ & Anconæ altiorem eſſe 45 partibus circuli, altiorem tamen in ægypto

to, q̄ Romæ & illic quā Anconæ. Denſ
q̄ in venetia eleuari meridianum ſolem
exacte partibus 45

LXXXVII

Sad quanto altior eſt ſol media die æ
quinoctij tanto polus humilior eſt, con
traq̄ tanto ſublimior, quanto ſol fuerit
humilior.

LXXXVIII

Nam ut alias demonſtratur, arcus me
ridiani circuli inter verticem & æquato
rem contentus æqualis eſt arcui eiſdē
meridiani inter polum & finitorem com
præhenſo, id eſt Latitudo regionis par
eſt altitudinī polari.

LXXXIX.

Et ſupra dictum eſt verticem ab ipſo
horizōtis plano vndiquaq̄ integro qua
drante circuli attolli.

XC.

Ex quib. perſpicuum eſt poli exalta
tionem in Aegypto, Romæ & Anconę
in Italia, minorē eſſe 45 partib. circuli,
Et in venetia æquari omnino totidem
partibus

tibus.

XC.

Certior autem supputatio po-
laris altitudinis iuxta um-
brarum rationem pen-
det ex geome-
tricis funda-
mentis.

Impressum Vitebergæ per Iose-
phum Klug.

